DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

FEBRI ARDENTE, IN INDIVIDUO,

Quam,

Annuente Numine Triuno,
Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris,
DN. ARNOLDI SCHÖNE, J. U. D.
Ejusdemque Facultatis in Illustri Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ Academiâ, (quæ est HARDERVICI) Professoris Primarii,
NEC NON
Amplissimi Senatus Academici consensu, & Celeberrimæ Facultatis Medicæ decreto,
Pro gradu Doctoratus, summisque in arte Medicâ honoribus & privilegiis ritè consequendis,
Defendendam suscipit
CORNELIUS GROENVELT, Hornâ-West-Frisius.

Ad diem 19. Novembris. Loco horisque solitis.

2



HARDERVICI,
Apud PAULUM VAN DEN HOUTE,
Anno M. DC. LXVI.



OMNIBUS ET SINGULIS VERITATIS INDAGATORIBUS

Disputationem hanc inauguralem

Sacram facit

CORNELIUS GROENVELT,

Auth. & Respondens.





DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

FEBRI ARDENTE.

Historia morbi.



Ir juvenis XXVIII. *annorum, temperamenti biliosi, cum, mensibus æstivis, aliquoties se vino generoso adobruisset, & paulò pòst, prout ad rixas & jurgia propendebat, irâ vehementius incensus esset, incidit mox in affectum, quo totum corpus intensissimè idque continenter ac sine ullo caloris vel lenimento vel interstitio incalescebat. Sitis aderat inexpugnabilis, vigiliæ supra modum urgebant, color erat faciëi squalidus, urina rubra crassa, cum magnâ virium dejectione & contumaci narium hæmorrhagiâ. Quæritur quis sit affectus, quæ partes affectæ, quæ causæ, quæ spes curationis, quæ Curatio?*

THESIS I.



Orbus, quo hic æger affligitur, eſt *Synochus putrida biliosa*, quæ hic, ob duo evidentiſſima ſigna pathognomonica, calorem ſc. urentem & ſitim inextinguibilem, *cauſus ſive febris ardens* appellanda, & definienda *Febris putrida continua ſine ulla remiſſione à principio ad finem uſque affligens* (quo diſtinguitur à tertianâ continuâ, cui eadem quoque ſymptomata accidunt) *cum intenſiſſimo calore, ſitique inexplebili, à biliosâ ſanguinis parte inflammatâ ſive accensâ potiſſimùm dependens.*

II.

Afficiuntur in hoc ægro primariò *cor & ſanguis*, ſecundariò *reliquum corpus*, ut patet ex intenſiſſimo & continuo calore, hæmorrhagiâ & virium dejectione; *ventriculus* & *œſophagus*; uti conſtat ex ſiti inexplebili; *cerebrum* & *ſpiritus animales*; quod docent vigiliæ ſupra modum urgentes; item *facies*, uti innuit color ejus ſqualidus.

III.

Cauſæ remotæ naturales ſunt *ætas juvenilis & temperies biliosa*; non naturales *tempus æſtivum & immoderatus vini generoſi uſus*; præternaturalis minus remota hinc orta *ſanguinis diatheſis retorrida & acris*, bilisque calidioris in corpore; collecta copia, antecedentis cauſæ rationem habens; quæ deinde à *Cauſâ procatarcticâ, irâ vehementi*, in actum deducta, & in motum

tum ebullitionis ſive efferveſcentiam immodicam & præternaturalem concitata, *Cauſæ continentis* vicem gerit, atque omnia ſymptomata in caſu enarrata producit.

IV.

Etenim *ſanguis*, ratione ætatis & temperamenti, *calidior & acrior* exiſtens, ex immodicâ & aliquoties repetitâ vini generoſioris potatione, facilè contraxit *diſpoſitionem calidiorem & acriorem*, quâ bile acriori & ſulphure concremabili plus nimiò ſaturatus facillimè in motus inordinatos & enormem efferveſcentiam *vel ſponte ſua* erumpere, vel *accedente levi occaſione* adigi poterat. Ad quam conſtitutionem contrahendam non parum contulit aër æſtivus calidior, *quatenus ſanguinem* tum in habitu corporis, tum à dextro cordis ventriculo venientem in pulmonibus *minus juſto condenſavit & refrigeravit*, adeoque majori & vehementiori fermentationi, in ſiniſtro cordis thalamo peragendæ, opportunum reliquit.

V.

Sanguis hoc ritu diſpoſitus à vehementiori irâ agitatus facilè curſum præternaturalis efferveſcentiæ inchoare potuit, ac dein pari & æquabili intenſione abſolvere. Nam per iram *ſanguis bilioſus*, circa hepar copiosè in hoc ægro redundans, *majori impetu & copiâ*, præ cæterarum partium ſanguine, cum cruore in venâ cavâ exiſtente mixtus, & ad *cor propulſus eſt*. Quare hæc mixtura inibi *vehementius* ſe dilatavit ac ebulliit *inordinatius*; unde *compage* ſanguinis nonnihil *recluſâ*,

 laxa-

laxatâque mixtione, particulæ ſulphureæ plus ſolito fuere *diſſolutæ*, à cæterarum particularum conſortio *liberatæ*, *exaltatæ*, & *incenſæ* ab igne cordis vitali. *Hinc* proximè ſecuta fuit *fermenti cordis inflammatio & dyſcraſia*, quæ, quò majori copiâ & diuturniori ſucceſſione hic ſanguis bilioſus, ab hepate veniens, ad cor delatus eſt, tantò etiam major & vehementior evaſit. Fermentatum enim naturam redolet fermenti.

VI.

Quia verò cordis ventriculi, in ſanguinis expulſione in arterias, tam arctè conſtringi nequeunt, quin aliquid ſemper ſanguinis rarefacti in iis reſiduum maneat, quod reſpectu ſanguinis recens illapſuri & rarefaciendi naturam fermenti habet, facilè intelligimus, quâ ratione *ſanguis ſemel* in effervescentiam inordinatam ab irâ *præcipitatus*, deindè ſedatâ quoque irâ, eam porrò *inſtituere pergat*, adeoque febrim continuam inducat; atque etiam quâ ratione illius *mixtio naturalis*. ſecundùm minima principia conſtitutiva, magis magiſque *ſolvatur*, & particulæ in tali *ordine ac ſitu* conſtituantur, qui verſus *corruptionem* tendit. In quo uno ſanguinis, ut miſtum conſiderati, putredo conſiſtit, ſaltem in vaſis.

VII.

Quæ hactenus diximus, ſanguinis *in corde* efferveſcentiam præternaturalem concernunt; ſequitur jam ejuſdem diſtributio & inordinatus *motus per vaſa* & partes corporis. *Sanguis* ergo intenſiſſimè excalfactus & vehementiſſimè dilatatus, *citato impetu* ex corde *trajicitur*

jicitur

jicitur in arterias, *motuque rapidiſſimo* per vaſa *circulatur*; *quo fit*, ut nullibi niſi parciſſimam moram trahens, ab aëre, ob tempus æſtivum, calidiore, tum in habitu corporis, tum in pulmonibus, *parum refrigeretur*, adeoque uberrima caloris effluvia, ad inſtar ollæ ſuper igne bullientis, undequaque de ſe emittat, & ſic *totum corpus intenſiſſimo calore ſuffundat.*

VIII.

Eâdem operâ, & quatenus particulæ ſanguinis ab invicem, & præcipuè quidem bilioſæ atque ſulphureæ à reliquis, ob vinculum mixtionis magnâ ex parte interruptum, ſeceſſionem faciunt, multos vapores calidos & ſulphureos, adeoque *plurimum exiccantes* in ventriculum, œſophagum & os extrudit, & ſic *ſitim inexplebilem inducit.*

IX.

His exhalationibus *analogæ multæ* quoque cum ſpiritibus vitalibus, præter modum in corde concalfactis, continuò ad cerebrum *aſcendunt*, quæ deindè, per poros arteriarum, in cerebri ſubſtantiam & ventriculos exhalantes ſpirituum animalium in eo *motum adaugent, & cerebrum vehementer inflant expanduntque*, unde vigiliæ ægro noſtro ſupra modum moleſtæ ſunt.

X.

Quatenus verò, particulis aquoſis & fervorem ſanguinis attemperantibus per reſpirationem & poros cutis diſſipatis, *ſanguis* in vaſis *exiccatur, aduritur & torre-*

fit,

ſit, color faciei ſqualidus exiſtit, quia *hac in parte* cruoris *color*, ob cutis teneritudinem vaſorumque repletionem (ex ſanguinis nimirum copioſo ad caput affluxu, quem in hoc ægro arguere videntur vigiliæ & contumax hæmorrhagia) *magis eſt conſpicuus*.

XI.

Ob eandem uberiorem partium *ſulphurearum* nec non *ſalinarum* diſſolutionem, urina exiſtit craſſa & rubicunda, quatenus hæc corpuſcula ſero involuta in renibus ſecernuntur, & per vias urinarias foràs eliminantur: Quanquam non nego etiam accedere quaſdam particulas *craſſiores* & *magis terreſtres*.

XII.

Tandem ex *tumultuoſo illo* & inordinato ſanguinis per vaſa *motu ſequitur* pertinax illa *hæmorrhagia*, dum *ille* valido impetu protruſus *oſcula arteriarum* circa nares *aperit*, & magnâ in copiâ ſymptomaticῶs *foràs exilit*. *Unde* proximè ſequitur magna illa virium proſtratio.

XIII.

Affectus hic admodum *periculoſus* exiſtit; I. ob magnum receſſum à ſtatu naturali. II. ob vehementiam cauſæ. III. ob urgentiſſima ſymptomata, quæ mortem accerſere citiſſimè poterunt. Quia tamen æger noſter *juvenis* eſt, adeoque morbus ipſius temperamento & ætati conveniens, & præterea *urina craſſa* eſt (quod ſignum aliquomodo eſſe videtur, œ-

conomiam

conomiam corpoream non omnino perverti, nec metastasin fieri humorum ad partes nobiliores) spes *nondum omnis* concidit, ideoque cum periculi præmonitione, curationem *citissimè* aggrediendam censemus.

XIV.

Curationem quod attinet, fieri illa debet secundum has *indicationes.* Causæ remotæ amovendæ; intemperies sanguinis calida & acris refrigeranda & temperanda; ebullitio sanguinis præternaturalis sistenda, vel si id fieri non potest, saltem frænanda & in ordinem redigenda; vires refocillandæ: sed *ante omnia* urgentibus symptomatibus, & præcipuè hæmorrhagiæ, unde maximum vitæ periculum imminet, prospiciendum.

XV.

Primò igitur omni studio sanguinis è naribus effluxus compescendus & sufflaminandus. Vena in brachio secanda ad sanguinis à capite aversionem, ejusdemque fervorem imminuendum, quâ ratione simul febris oppugnatur. *Diligenter* tamen ante venæsectionem prudenti medico erit *pensitandum, utrum* ægri *vires*, ex copiosa sanguinis evacuatione multùm jam dejectæ, tam præsentes quam futuræ, *phlebotomiæ adhuc locum præbeant.* Aliàs à venæsectione erit abstinendum, & cucurbitulæ scapulis aut dorso applicandæ, præterea ligaturæ stringentes brachiis & cruribus injiciendæ. Epithemata actu & potentia frigida, collo & testibus adhibenda. Acetum rosaceum auribus infundendum. Interius assumenda, quæ sanguinem re-

frigerandi, ejuſque motum concitatiorem compeſcendi vim habent. ut ex. gr.

℞. aq. plantaginis ℥vj.
Salis prunell. ℥ß.
Miſce pro 3. doſibus.

vel ℞. aq. plantagin.
portulac. an. ℥jß.
alexipharmac. ℥ß.
confect. hyacinthor. ʒß.
ſanguin. dracon.
lapid. hæmatit. an. gr. xv.
julap. roſac. ℥j.
laudan. opiat. gr. II.
ſpiritus vitriol. gutt. VI.
Ms. Bibat cochleatim.

Quæ ſimul etiam contra febrem, vigilias, ſitim & virium dejectionem valebunt, quatenus ſanguinem refrigerant, condenſant & figunt, vireſque corroborant. Utile quoque erit, noſtro quidem judicio, herbas aſtringentes cum aceto contuſas carpis & temporibus adhibere, quia illæ, cum hæc ſanguinis profuſio ab ejus turgeſcentiâ & irregulari fermentatione ortum habeat, prodeſſe poſſunt, quatenus præcipitandi quâdam vi cruoris enormem ebullitionem ſupprimunt. Quæ omnia ſi non juvent, poterit naribus ſtillantibus admoveri ferrum candens & ignitum, ut fluxus à vapore ſanguinis torrefacti, in nares ſuſcepto, ſiſtatur. Quod tamen remedium ſi quiſpiam ante alia quoque uſurpatum velit, non multum reluctabor, cum omnis ferè noxa, quam ſic infligere poteſt, in eo conſiſtere videatur, quod ſanguis eodem impetu à corde propulſus ad alias forte partes nobiliores proruere eaſque lædere

queat,

queat, quod tamen periculum minus eſt quam ipſius hæmorrhagiæ, & haud difficulter averti poteſt.

XVI.

Hæmorrhagiâ ſic ſedatâ & ſufflaminatâ interdum contingere poteſt, ut æger à febri evadat immunis. Quod tamen in noſtro ægro, ob præfervidam & acrem ſanguinis diatheſin, vix videtur ſperandum. Proxima ergo cura erit, ut ſanguinis immodica efferveſcentia, quantum fieri licet, inhibeatur. Ad quod multum conduceret venæſectio; ſed *quia* ægri *vires*, propter largam ſanguinis evacuationem, valde ſunt *debilitatæ*, vix ſperari poteſt, eum phlebotomiæ ulterius fore parem. Quare conſultius erit, ut primis viis enemate prius expurgatis, ipſi lene quoddam catharticum exhibeatur, quo, *quia adhuc in principio morbi verſamur*, futuræ vehementiori ebullitioni detrahatur pabulum.

Ex. gr. ℞. rhei electi ʒij.
fol. ſen. mundator. ʒj.
Cremor. tartar. ℈ij,
infund. calidè per noctem
in aq. portulac. ℥iv.
in colaturâ mane fortiter expreſsâ
diſſolve ſyr. roſ. ſolut. ℥ß.
ſal. prunell. ℈ß.
Spiritus vitriol. gutt. v.
M. F. Hauſtus.

Vomitoria, ob ægri proclivitatem in hæmorrhagiam, utilia non cenſeo.

XVII.

Si his non obſtantibus incendium latius ſerpat, & *ad augmentum vergat morbus*, procurandum erit, ut inſenſibilis tranſpiratio libere procedat, &, ſi *vigiliæ æque urgeant*, vireſque permittant, vena iterum ſecanda, enemata injicienda, ſed à catharticis & diaphoreticis calidis *ſedulò cavendum*. Concocta enim evacuari oportet, non cruda. Pergendum in uſu eorum, quæ refrigerandi, attemperandi, ſanguinem & ſpiritus figendi & conſtipandi, ſpirituſque refocillandi vim habent, qualia ſunt Julapia, decoctá, ſucci acetoſi, pulveres varii vegetabilium & mineralium. ex. gr.

℞. aq. acetos.
rosarum,
boraginis an. ℥jv.
prophylac. ℥iß.
Syr. de portulac.
limonum an. ℥j.
Sal. prunell. ʒij.
ol. Sulphuris per campam eliciti q. s.
ad gratum acorem.
M. F. Julep.

vel ℞. aq. boraginis,
carduibened. an. ℥ijß.
prophylact. ℥j.
Julap. roſac. ℥iß. Confect. hyacinth. ʒj.
Syr. è Succo citr. ℥ß.
Spiritus vitrioli rectificat. q. s.
ad gratam aciditatem.
F. Mixtura, quam ſumat
cochleatim.

vel

vel ℞. sal. prunell. gr. xv. Corallor. rubror. ℈ß.
tartar. vitriolat. gr. vii.
oculor. cancr. præpt. gr. xii.
Cornu cervi præpt. ℈ß.
sacchar. perlat. ℈ij.
M. F. Pulvis.

Vigiliis quoque sedulò occurrendum est. Ad quam intentionem inter cætera valde utile hic censeo *Laudanum opiatum*, quia debitè præparatum & prudenter exhibitum *non tantum* somnum conciliat, sed &, figendo & suffocando spiritus, *febris vehementiam retundit.*

XVIII.

Si ad *statum* accedat febris, diligenter attendendum, an natura *crisin* sit factura. Venæsectio & omnis fortis purgatio procul habendæ. Et, si crisis speretur futura, naturæ *satis valide* operanti totum negotium erit committendum, *segnior* ejus tardiorque *motus adjuvandus* medicamento diaphoretico temperato vel leni cathartico, pro ratione viæ, per quam crisis futura videatur. Quod si omnia adhuc *cruda* & perturbata sint, nullaque aut paucissima coctionis signa in urina appareant, *coctio* materiæ morbificæ ejusque à bono sanguine *secretio* erit *expectanda*. Interim cardiacis temperatis vires corroborandæ, sanguinis immoderata effervescentia imminuenda, &, uti antè diximus, in ordinem redigenda, obstacula & impedimenta removenda, adeoque alvus crebro enematum usu subducenda.

XIX.

In *Declinatione*, ſi criſis *bona & perfecta* præceſſerit, conveniens victus ratio *tantum* præſcribenda. Abſtineat æger à carnibus & cibis ſolidioribus, ob ſanguinis & fermentorum debilitatem, donec urina ſanorum fuerit ſimilis, & tum demum paulatim eorum uſui aſſueſcat. Si autem *ſuſpicio* ſit, reliquias materiæ morbificæ in corpore remanſiſſe, leni cathartico educantur. Poſt criſin *imperfectam* attentè conſideret Medicus, an vires prævaleant morbo, nec ne; ne *intempeſtivè* remedia adhibendo, ſeipſum infamiæ exponat. Signa autem coctionis quædam ſi appareant, vireſque conſtent ſatis, reliquiæ leniter per epicraſin expurgandæ. Interim ſymptomatis, ſi quæ urgeant, convenienti modo obviam eundum, & vires confortandæ cum cardiacis, tum etiam debitâ victus ratione.

XX.

Diætam quod attinet, *Aër* ſit frigidus & humidus, qui, cum ob tempus æſtivum, vix inveniri poſſit, arte procuretur. Cubiculum, in quo æger decumbit, inſtruatur herbis frigidis & humidis, aquâ frigidâ conſperſis tum ſuſpenſis, tum pavimento inſtratis, quales ſunt ex. gr. violaria, lactuca, folia ſalicis, nymphææ. *Cibus* ſit valde tenuis, liquidus ac refrigerans, ut ptiſana, juſcula Gallinarum vel Carnis vervecinæ cum hordeo mundato, pomo citri, ribeſiis rubris, endiviâ, acetoſâ, portulacâ, lactucâ & ſimilibus parata. *Potus* ſit copioſus, ut calor cordis temperetur, & ſanguis diluatur, ex cereviſiâ valde tenui, ſpiritu ſulphuris vel vitrioli parum alteratâ, aquâ hordei, acetoſæ &c. in

quibus

quibus ſal prunellæ diſſolvi poteſt, ad ſitim magis refrænandam, vel ex julapio Alexandrino, tincturâ Roſarum Riverii &c. *Somnus* omni ſtudio promoveatur. Æger ab omni exercitio *quieſcat*. Vitentur vehementiores animi *perturbationes*, & præcipue *ira*.

COROLLARIA.

I.

Eſſentia febris non conſiſtit in calore aucto, neque, ut Galenus loquitur, in nativâ caliditate in igneam conversâ.

II.

Etenim calidum noſtrum nativum revera ignis quidam eſt.

III.

Et dicitur ejus calor nativus ſive innatus, quia ſanguini, dum fit, innaſcitur.

IV.

Adeoque ſemper eſt in fieri, nec unquam ut ſubſiſtens ſpectari debet.

V.

Non datur, nec dari poteſt univerſale alexipyreticon.

VI.

Neque adverſus quartanam aliquod reperiri poteſt, quod non ſæpe fallat.

VII. *Con-*

VII.

Concoctio cibi in ventriculo fit partim ſpontaneâ particularum heterogenearum in ſe invicem actione, partim adjumento fermenti ſalivalis, ſed potiſſimum ope liquoris fermentacei à ſanguine arterioſo in ventriculum ſecreti. Calor vero actualis alimentorum, ventriculi & vicinarum partium, cauſæ tantum adjuvantis rationem habet.

VIII.

Hic liquor fermentaceus non eſt ſimpliciter acidus, aut ſalſus, aut oleoſus; ſed ſpiritibus animalibus analogus, & ex diverſis partibus compoſitus.

IX.

Iſtarum autem partium infinita poteſt eſſe varietas, tum ratione figuræ, & magnitudinis minimorum corpuſculorum, tum ratione mixtionis & proportionis eorundem inter ſe.

X.

Idque obtinet tam in ſtatu ſanitatis, ex quo intelligimus, cur alii alia alimenta felicius ſubigant, & cur quidam certis cibis offendantur, quam in ſtatu morboſo.

XI.

Hinc conſtat, quam parum juverit ægrum, in læſa ventriculi concoctione, Medicum tantum ad celebres iſtas intemperies calidam, frigidam &c. attendiſſe.

F I N I S.